



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Frankofurti, 1671

Cap. I. De Vehiculi vocabulo, & quid significationis habeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156



JOANNIS SCHEFFERI

Argentoratensis

De

RE VEHICULARI
LIBER PRIMUS.

Cap. I.

De Vehiculi vocabulo, & quid signi-
ficationis habeat.

Vehiculi vocabulum unde. Varronis de eo sententia examinatur. Vea. Vea. Via. Num à veba. Veba. ὄχημα. Currus generaliter pro vehiculo. Curriculum, curriculus. Vehiculum pro navi. ὀχημα ἀπλων, ἀρμάτων. Arcerius notatur. ὀχημα ζευγῶν. Vehicula juncta. Vectatio, vectio equi. ὄχημα τροφῆς. Vectaculum, vectabulum. Tertullianus explicatur. lumentum pro vehiculo. Vehiculorum usus ubi optimus.

Vehiculi vocabulum Varroni dubiæ originationis est, nam à *viendo* putat, & *vehendo* posse derivari. Nempe id sic dicitur, ut ait ipse, *quod è viminibus vietur, aut, quod eo vehitur.* Sed fortasse rectius priorem derivationem pertinere credimus ad genus certum & peculiare, cum non omnia vehicula sint è viminibus, ceu res docet ipsa, & sequentia uberius monstrabunt. Deinde quomodo à *viendo* esse

A

esse

esse queat *vehiculum*, & non potius *vieculum*? Neque tamen à *vehendo* derivari commodè videtur, cum *vehiculum* sit prius, quam eo vehatur. Itaque & Varro ipse aliter post superiora: *Brevis veba, vehiculum dictum est.* Si *vehiculum* est brevis *veha*, sequitur sic à *veha* dici, non *vehendo*, seu quod eo vehatur. Porro *veha* est à *via*, quod illius usus fit in viis: dicebant enim veteres non *viam*, verum *veham*, sive *veam*. Varro iterum: *Rustici etiamnum quoque viam veham appellant, propter vecturas.* Putat, ut opinor, *veham* à *vehendo* dici, quod existat per vecturas. Verum nescio, annon ex adverso à *veha*, *vehere* sit nominatum. Sanè *veha* sive *vea*, quæ & *via* non ab iis solum, qui vehunt, verum ante, multoque magis etiam ab illis, qui incedunt pedibus, ut natura ipsa prior *via* fit aut *vea*, post *veha*, cujus usus est in *veis viisve*, ac denique *vehiculum*. *Via* verò sive *vea* est ab $\epsilon\omega$, præposito digamma Æolico, quod significat $\pi\alpha\rho\epsilon\upsilon\sigma\mu\alpha\varsigma$, hoc est, *ambulo* seu *vado*. Neque mirum, à *vea* factum esse *via*, cum pro $\epsilon\omega$ dixerint & $\iota\omega$. Quinimò hæc causa, cur conjunxerint antiqui, dixerintque *veiam*. Sic enim vocasse *viam* colligas ex *vea*, quæ *vehiculum* aut *currum* denotat. Festus Pauli: *Veja apud Oscos dicebatur plaustrum.* Quando *plaustrum* sic testatur dictum, idem indicat de *via*, cum commune rei utriusque nomen fuerit, ut supra vidimus. Sanè *via* hodieque *meis Rusticis* per *Alfatiam* est *Wei*, quod ipsissimum est *veia* veterum *Oscorum*. Græcis *vehæ* seu *vehicula* sunt $\omicron\chi\sigma\iota$. Unde habes apud *Sophoclem* in *Electra* $\delta\epsilon\upsilon\alpha\lambda\omicron\nu\omicron\upsilon\omicron\chi\sigma\iota$, pro decimo *vehiculo*. Convenit *Germanorum* Weg & *Svecorum* *ook*, item *ooka*, quod Græcorum est $\omicron\chi\epsilon\omega\nu$, sono prorsus simili. Quod sine dubio est ab $\omicron\chi\sigma\iota$, non contra $\omicron\chi\sigma\iota$ ab $\omicron\chi\epsilon\omega\nu$, ut *Magistri* voluerunt. Pro $\omicron\chi\sigma\iota$ tamen magis $\omicron\chi\eta\mu\alpha$ in usu. *Glossæ veteres: Vehiculum, $\omicron\chi\eta\mu\alpha$.* Sed hoc aliquando *currum* Latini exponunt. Nempe *currus* quoque idem notione generaliori apud ipsos, quod *vehiculum*. *Glossæ: $\omicron\chi\eta\mu\alpha$, vehiculum, currus.* *Philoxenus: Currus, $\omicron\chi\eta\mu\alpha$.* Ita *Cicero*, quod habetur apud *Platonem* in *Timæo*: $\epsilon\mu\beta\iota\beta\alpha\sigma\alpha\varsigma\ \omega\varsigma\ \epsilon\iota\varsigma\ \omicron\chi\eta\mu\alpha$, reddidit in libro de *Universo*: *Quasi in currum universitatis imposuit.* A *curru* etiam derivarunt *curriculum*, sicut à *veha*, *vehiculum*. Varro lib. 1.

de

de Vita Pop. Rom. *Equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distrahit.* Metii supplicium commemorat, qui ad currus fuit religatus, ut est notum. Curtius lib. VIII. cap. 14. *Per lubrica atque in via immissi currus concutiebant eos, à quibus regebantur. Aliorum turbati equi non in voragine modo lacunasque, sed etiam in amnem precipitata vere curricula.* Hic curricula, quæ paulo ante currus. Videtur ita Tullius quoque usurpasse Or. de Har. Resp. ubi ait: *Tui sacerdoti sunt tensa, curricula, præcentio, ludi, &c.* Saltem Apulejus fecit lib. VII. Af. in. ab initio, quando ita loquitur: *Primum tenebris abjectis dies inalbebat, & candidum Solis curriculum cuncta collustrabat.* Dicit collustrasse curriculum Solis, quia vehi curru Solem autumabant, uti alibi monstrabo. Festus maluit in masculino ponere, ut conveniret originario. *Curriculus*, ait, *diminutivum est à curru.* Atque ita legimus in Glossis: Ἀγμάτιον, *curriculus.* Nempe alias in neutro non vehiculum, sed ipse cursus est. Plautus in Trinummo, Act. III. scen. 4.

Curre in Pireæum, atque unum curriculum face.

Sed hæc agens aliud, & vehæ ac vehiculi occasione. De quo noto amplius, non ὄχημα solummodo à Græcis esse dictum, sed & ζεύγος. Hefychius. ζεύγος, πᾶν τὸ ἐζευγμένον, καὶ ὄχημα. Inde ζεύγη μίθρια, quæ Latinis *meritoria vehicula*, Plutarcho, quod jam alii notarunt. Etiam ἄγμα quandoque sic generatim eis usurpatur. Hefychius iterum: Ἄγμα, ὄχημα, καρέχα. Cæterum vehiculum non pro curru solum ponitur, sed re qualibet, quæ quis vehi potest. Navim fanè non poëtæ modò ita nominarunt, sed & Tullius de Nat. Deor. II. *Atque ille apud Atium pastorem, qui navem nunquam ante vidisset, ut procul divinum & novum vehiculum Argonautarum è monte conspexit.* Similiter in Verrina V. navem Verri ædificatam à Mamertinis, *furtorum vehiculum* appellavit. Ita habemus apud Æschylum in Prometheus, θαλασσοπλοῦς ἀνὸς πλοῦς ὄχημα: & apud Oppianum in Hal. ὄχως ἀλός νῆας. Etiam equi aliquando vehicula veteribus. Colligit Turnebus lib. XXVII. Adv. cap. 26. istis verbis: *Vi ὄχημα apud Græcos non tantum carpentum aut currum significat, verum etiam jumentum, quo vectamur, ut apud Ari-*

stophanem notant Grammatici; sic apud Latinos *vehiculum*. Quod nisi ita est, velim, aliquis mihi dicat, cur lege Oppia cautum erat, ne mulier juncto vehiculo uteretur. Junctum enim vehiculum hic pileatum est, quod junctis trahitur jumentis, quasi etiam sit quoddam vehiculum non junctum. Aristophanis quæ innuit, ex Suida sumpta videntur, cujus hæc sunt verba: ὄχημα ἐκ ἐπι ἀρμάτων. ὁ μὲν Αριστοφάνης. Οὐκ ἔνδον καὶ ὅς τις εἰς ὄχημα κανθάρε ἐπιβάς ἴσῳσα τὰς ἄλλους. Ait Suidas, vocem ὄχημα non de curru solum usurpari, sed & aliis; Aristophanem enim scarabæum quoque ita nuncupare, cui quis velut eqvo infideat. Sed tamen Aristophanes hoc joco fecit, ut apparet. Serio Ælianus in de Instr. Acieb. cap. 2. cujus meritò proinde verba hic adscribimus: τὸ ἐπὶ τῶν ὀχημάτων τὸ μὲν ἐφ' ἵππων, τὸ δ' ἐφ' ἐλεφάντων. Τὰ δ' ἐφ' ἵππων τὸ μὲν ἐφ' ἀρμάτων, τὸ δ' ἐπ' αὐτῶν ἰδρύται τῶν ἵππων. Verbis manifestis docet, esse aliqua ὀχήματα τῶν ἵππων. Arcerius sic reddidit: *Qui vehuntur, alii ab equis, alii ab elephantis feruntur. Qui ab equis feruntur, eorum quidam curribus insident, quidam ipsis equis.* Theodorus Gaza prius ita verterat: *Vectores, qui aliquo feruntur vehiculo, quorum duplex est genus, nam alii equis, alii elephantis feruntur, &c.* Non mutare debuit Arcerius, cum vehiculum significet & eqvum, sicut demonstravi. Et quoniam ὀχήματα de eqvis etiam, hinc ὀχήματα ἀρμάτων in Epigrammatibus, cum addito, quod alias necesse non fuisset: item ὀχήματα ζωνία apud Plutarchum in Quæst. Rom. planè sicut apud Latinos *juncta vehicula*. Sed & apud Hesychium reperitur: ὄχησις, ἵππασία. Et Eustathius apud Homerum II. P. ὄχησις interpretatur per ἵππασίαν. Quemadmodum & Latini usurparunt *vehi* de iis, qui feruntur eqvis. Vellejus II. Hist. cap. II. 4. *Solus semper equo vectus est.* Legimus & *vectationem* tali sensu apud Svetonium in Cajo, cap. 3. *Gracilius quoque pedum paulatim repleta assidua equi vectatione.* Tullius pro eo usurpavit *vectionem*, lib. II. de Nat. Deor. *Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipsis affert vim & celeritatem.* Non sunt aliæ *vectiones* Tullii, quam Hesychii ὄχησις. Pariratione elephantis quoque sunt ὀχήματα. Ita sanè suprâ vidimus ex Æliano. Sed & Arrianus in Indicis: βασιλικὸν γὰρ ὄχημα ὀλέφας παρ' Ἰνδοῖς ἐστίν. *Regium apud Indos.*

Indós vehiculum est elephantus. Apulejus quoque posuit pro asino, gestante Deam Syriam illis verbis: *Dea vehiculo meo sublata est humi reposita.* Beroaldus eo loco: *Hic vehiculi nomine non plaustrum significatur, sed festiviter ipsum jumentum, cujus dorsum vehiculi vicem præstabat Dea.* Optime, nisi quod ex dictis liqueat, non tam festiviter, quam ex consuetudine Latinorum ita esse locutum. Sunt quin imò etiam vehicula, quibus quoque modo vehitur vel movetur quidpiam. Ita enim apud Plutarchum, Symp. VI. Erasistratus τὸ ὑγρὸν, seu *humidum*, id est potum, vocat ὄχημα τῆς τροφῆς, *cibi vehiculum.* Et jam ante ipsum pridem fecerat Hippocrates, lib. de Alimento circa finem. Verba ejus: ὑγρασίς, τροφή ὄχημα. Quod Foësius sic reddidit: *Humiditas alimento vehiculum præbet.* Aëtius privatim usurpavit de aqua. Ἐδωρ τροφῆς ὄχημα, inquit Tetrab. l. ferm. 3. c. 165. id est, *aqua, cibi est vehiculum.* Secuti deinceps alii aliique, sic, ut hodieque inter usitatas Medicorum sit locutiones *vehiculum*, pro humido succove quolibet, quo durius spissiusve aliud diluitur & eliquatur. Denique quibusdam sanguis est *vehiculum spirituum*, quoniam eo continentur quasi, cumque ipso per corpus universum diffunduntur. Corpus totum ita nuncupavit Tertullianus peculiari libello de Anima his verbis: *Auriga corporis spiritus animalis, deficientis vectaculi nomine, non suo deficit, opere decedens, non vigore.* Hic *vectaculum deficiens* vocavit corpus ægrum exhaustumque, in quo diutius moveri spiritus animalis nequit. Est autem nihil aliud *vectaculum* Tertulliano, quam *vehiculum.* Sextus Cæcilius apud Gellium, lib. XX. cap. 1. *In jus vocato pauperrimo homini vel inopi, qui aut pedibus fortè agris esset, aut quo alio casu ingredi non quiret, plostrum esse dandum censuerunt, neque insterni tamen delicatè arceram jusserunt, quoniam satis esset invalido hujusmodi vectaculum.* Habes ecce etiam hic *vectaculum* pro vehiculo. Ita enim legitur in editionibus vetustioribus. Et profectò, ut à *jento, jentaculum*, ab *obsto, obstaculum*, ita planè etiam à *vecto* bona analogiæ ratione potest esse *vectaculum.* Quamquam in iisdem libris paulò ante apud Gellium occurrat *vectabulum* etiam. Verba hæc sunt: *Jumentum non id solum significat, quod nunc dicitur, sed vectabu-*

lum est, quod adjunctis pecoribus traheretur. Atque ita ediderunt etiam in superioribus verbis Lugduni Batavorum Anno MDCLXVI. Neque aliter reperias apud Nonium in voce *jumentum*. Verba hæc sunt: *Nam & vectabulum dicunt, quod nunc vehiculum dicitur.* Atque potest fieri, ut formatum ita sit à *veho*, sicuti *rutabulum* à *ruo*, *pulsabulum* à *pulso*. Cum præsertim legas etiam in Onomastico veteri Argenteratensi, quod recudi fecit Bonaventura Vulcanius in Glossario: *Vectabulum*, ἀσύν. Alias Græcorum ὄχημα seu Latinorum currum olim non *vehiculum* modò, sed & *jumentum* esse nominatum discimus ex Gellii superiore loco. Et confirmant verba legis veteris duodecim tabularum, quæ ab eo laudantur, atque ita habent: *Si in jus vocat, si morbus evitasve vitium extitit, qui in jus vocabit, iumentum dato.* Hic *jumentum* est, quod Romani aliàs *iunctum* nominarunt *vehiculum*, Cæcilius vocavit *plaustrum*. Atque ista de vocabulo vehiculi. Res ipsa nil est aliud, quam instrumentum, quo quid molis majoris ponderisve de uno loco vehitur in alium. Unde Varro: *Vehiculum, in quo faba, aliudve quid vehitur.* Plato in Theæteto describit per partes. Ἀγαπῶμεν ἀνέρωσιν δὲ τις ὅ, τι ἐστὶν ἀμάξα, εἰ ἔχοι μὲν ἄρῃσιν, τρεῖς δὲ ἄξων, ὁ τρεῖς ἰστία, ἀνύστες, ζυγός. Vertunt, *Satis nobis esset, si interrogati, quidnam esset currus, dicere possemus, rotae, axis, superiores stercæ, summa rotarum curvaturæ, iugum.* Verùm longè aliud ὁπερ ἰστία & ἀνύστες, ut suo loco demonstrabimus. Usus ejus proprius in terris, maximèque viis publicis, unde nomen etiam accepit. Commodior tamen ac facilior in planis regionibus æqualibusque, quàm asperis & montuosis, nam in his non procedit, nisi maximo cum labore. Tacitus XXXVI. Ann. de militaribus Britannorum vehiculis: *Densis tamen hostium agminibus & inæqualibus locis hærebant.* Etiam palustres & uliginosæ regiones parum utiles vehiculis. Itaque in iis rarius inveniuntur, vel si quando adhibentur, promoventur juvanturque arte quadam, de qua rectius dicemus in sequentibus.